

Ya
2990a



SOCIETAS
HISTORICO
LITTERARIUM

Sup
Institutionum
historiarum
et geographiarum
et antiquitatum
Saxoniae
et Borussiae
et Silesiae
et Poloniae
et Prussiae
et Lithuaniae
et Rutheniae
et Transylvaniae
et Moldaviae
et Wallachiae
et Bulgariae
et Graeciae
et Asiae
et Africae
et Europae
et Asiae
et Africae
et Europae



SCHEDIASMA
HISTORICO-
LITERARIUM,

quô

Curam Amplissimi

Senatus Dresdensis

Circa

*Ecclesias & Scholas Urbis
patronatas,*

à

Reformatione B. Lutheri usque ad Jubi-
læum Ecclesiæ Evangelicæ alterum variis accessibus
auctas & ornatas deprædicat

Christianus Sigismundus Becker.

DRESDÆ, *literis Crusianis.*

VIRIS
Magnificis, Nobilissimis, Consultissimis,
Amplissimis atq; Doctissimis,
DOMINIS

Confulibus,
Syndico,

cæterisque Reipublicæ Dresdensis

Patribus

conscriptis

Patronis atque *Fautoribus*
fuis ætatem colendis,

Schediasma hoc Historico-Literarium

è qua par est pietate & modestia



offert

Autor.

Viri Magnifici atq; Nobilissimi,



Anus supra millesimum vigesimus quartus in Fastis Ecclesiasticis sæpiusculo albo notatur calculo: Eo enim sive doctrina Christi egregiè defensa, Christianorumq; res mirifice ampliata, sive Synodi & Concilia in cœlestis veritatis confirmationem fuerunt instituta. Asserti hujus veritatem Antiquitatis Ecclesiasticæ scrinia loquuntur, quæ in præsentiarum excutere neque lubet, neq; opus esse videtur, cum *Vos*, PATRONI NOBILISSIMI, *Ipsi* sanctioris historiæ fidelissimi sitis promi condi. Ast pagellas has *Nobilissimis Vestris Nominibus* dum sacras esse jubeo eo ipso Anno, qui adolescentis hujus seculi *Vigesimus quartus* est, vel tribus saltem, quod ajunt verbis, nonnulla in medium afferre *Vestrâ* pace liceat. Nolo jam altius adscendere, Historiamque sacram eorum temporum evolvere, quorum atavorum ætas ac memoria haud quaquam attigit; hoc enim si constitutum esset, haberem, quæ de *Anno MCXXIV*, commemorarem. Nam isto fluente Concilia quatuor Gallicana, Carnutense, Claromontanum, Bellovacense & Viennense celebrata sunt, quorum Acta neque in *Labbei* neque *Harduini* Collectione reperiuntur. Memoriam tamen eorum nondum oblitteravit oblivio, in iisdem enim cœlestis veritas strenuè fuit defensa, utut haud absque invalescentis Papismi maculis, Neq; *Anni MCCXXIV*, memoriam refricare placet, quò Synodus altera Parisiensis congregata fuit in causa *Ray-* vid. Buddei
mundi, Comitis Tolosani, qui magnas in Ecclesia Gallicana Lex. Univ.
turbas fecerat, cervicem Papali jugo subtrahens. Eodem Hist. Tom.
tempore in eadem causa Concilium Mompeliense secun- IV. f. 256.b)
dum

dum habitum, quo *Raymundus* ex voto tunc congregatorum ad frugem rediit, & de obedientia Romanæ Ecclesiæ præstanda, injuriisque refarciendis juramento se ob-

vid. Guil. Ca-
véus Histor.
liter. fol. 66 r

Buddei Le-
xic. Histor.
Univ. Tom.
III. f. 465. a)

Ludewigs
Univ. Hist.
P. I. p. 368.

Annus *MCCCXXIV.* in signe istud opus, *DEFENSOR PACIS*, inscriptum, Ecclesiæ dedit. Autor istius fuit *Marsilius Patavinus*, natione Italus, Philosophus & Jure-Consultus ætate eâ nemini secuudus. Statuit atque defendit in illo libro; *Imperatorem Pontifici minime subesse*, imò *Papam Imperatori non in temporalibus solum, sed etiam in spiritualibus quoad externam Ecclesiæ disciplinam moderandam subjici debere.* *Aule prætereâ Romanæ fastum, ambitionem & luxuriam graviter delineavit, Pontifici Romano ne minimam quidem supra reliquos Episcopos potestatis vel præeminentiæ prærogativam relinquens.* *Marsilii hujus præter Caveum in Appendice ad Hist. Liter. p. 17. Flacius in Catalogo Testium Veritatis mentionem injecit L. XVIII. p. 1758. sq. Ubi docet, eum etiam docuisse, controversias de Religionæ non Papæ, sed Concilii autoritate dirimendas, non Papam Concilium generale convocare debere: Episcopos & Presbyteros nec principatum, nec divitias amplas decere.* Defendit etiam eo tempore *Marsilius: Papisticam Synagogam esse speluncam latronum; doctrinam Papæ non esse sequendam, quia ducat ad æternum exitium, ut taceam, illum eodem Flacio p. 2060, teste, publice clamasse: Quid aliud est Romæ, quam Simoniacorum undiq; concursus? Marsilium hunc pariter Cass. Sagittarius, T. I. Introd. in Histor. Ecclesiast. Cap. XXVII. p. 726. laudat, eumque inter illos refert, qui contra potestatem Pontificiam ac primatum affectatum calamum strinxerunt. * Obiit Anno 1528. Medio Septembris.*

An-
* Nostra ætate præ aliis hunc Pontificiorum errorem solide destruxit *Isaac Barrow's* in Tr. von des Pabsts vermeinter Obersten Kir-
chen-Gewalt, qui 1723. operâ *M. Augusti Tittels*, Pastoris nunc
Werm-
s X

Annus MCCCCXXIV. Ecclesiæ Romanæ fuit admodum notabilis, eo enim obiit *Benedictus XIII.* Papa iste Schismaticus, cujus in locum duo tum præsentis Cardinales Clementem surrogabant, qui quinque elapsis annis animam efflabat, finemque incluti istius schismatis faciebat. vid. Dion. Petavium P. I. Ration. Temporis & Tabulam Chronologicam, quam celeberrimus du Pinus ad calcem Epitomes Historiæ Ecclesiasticæ, Gallica lingua conscriptæ adjecit, p 529. Eodem tempore super reductione Græcorum ad Ecclesiam Romanam & continuatione processus in Hussitas acriter fuit disceptatum, quanquam præstantissimi quidam scriptores istud ad finem anni MCCCCXXIII. referre malint. Conf. celeberrimi Fabricii Bibliothec. Græc. Vol. XI. p. 672. Floruit ea tempestate *Georgius Pbranza*, qui Anno 1424. ad Amurathem, Turcarum Imperatorem ablegatus rem Christianam benè gessit, sed Constantinopoli postea captâ, atq; Turcis summa rerum potitis, in servitutem raptus est, uxore & liberis venditis alioque deportatis, quos tamen, quum libertatem sub finem anni 1453. nactus esset, è servitute redemit. vid. Henr. Wharton. Append. ad Caveum fol. 8. inprimis Leonis Allatii Diatriben de Georgiis p. 814. Edit. Fabriciana. num. 75 ubi eum sub vitæ finem in summa egestate vixisse, adeo, ut nec panis, quo vitam sustentaret, suppeteret, legimus. Laudatur pariter ibidem ejus Chronicon & Expositio Symboli.

Ad *Annus jam MDXXIV.* deferor, quo Principum Conventus Noribergæ fuit habitus, quem Laurentius Campegius, Romanæ Curiaë purpuratus jussu Clementis VII. Papæ nuper electi præsentia sua ornavit; efflagitabat ille

Wermisdorff. Germanicè prodiit: conf. Magnif. Nostri Lœscheri, quem Deus quam diutissimè servet atq; tueatur, *Zubel. Gespräche*, p. 568, sq. *Excellent. Cypriani Hilaria Evangelica*, fol. 43. - 81.

Budd. Lex.
Univ. Hist.
Tom. I. fol.
331. b.)

Buddei Lex.
Hist. Univ.
Tom IV. f.
196. b.)
Ludew. Uni
vers. Hist. P.
I. p. 401.

ille executionem Bullæ Leonis & Ediçti Imperialis contra Lutherum, at irrito plane, quæ Dei providentia fuit, conatu; unanimi namque suffragio decretum fuit, ut in Germania primo quoque tempore liberum Concilium habeatur, eumque in finem ad undecimum diem mensis Novembris Ordines Imperii Spiræ congregarentur. Decretum pariter fuit, ut Principes viros probos & pios deligant, qui ex Lutheri aliorumque scriptis excerpant, quæ in disputationem venire possint, eaque demum Heris suis offerant. Displicebat hoc tum Cæsari in Hispania tunc temporis commoranti, tum Pontificiis reliquis, qui cum Pallavicino istud Saxonis pertinaciæ imputare,* & quasi à solis Lutheranis profectum clamitare solent. At utilitate sua non caruit iste Conventus, licet adversarii Conclusum unanimi consensu factum tollere, & Ediçtum Wormaliense perditiones suas servari jufferint. Crevit tamen eo anno altæque radices egit purior Lutheri Doctrina non in Germania solum, Norimbergæ in primis & Magdeburgi, sed etiam in Dania, Svecia aliisque regionibus; vid. Illustris Seckendorffii Comment. de Histor. Luther. L. I. Sect. 58. p. 287. sq. Jo. Casp. Funckii *fürgefaßte Reformat.* Histor. Cap. IV. §. 14. sq. p. 132. B. Kortholti *Histor. Eccles.* sec. XVI. Cap. II. §. 18. sq. p. 767. sq.

Sequitur *Annus MDCXXIV.* Vocatur is in Historia recentissima **DECRETORIUS.** Cum enim Anno 1648. Pax Religionis Osnabrugæ concluderetur hac addita conditione, Principum Ordinumque Legati Instrumento pacis subscripserunt, ut Exercitium Religionis cum Bonis Ecclesiasticis undiq; in eodem statu peristeret, quo sub au-

* vid. Fridericus Sapiens contra calumnias Pallavicini, Maimburgii & Varillasii defensio per Læschherum Nostrum Magnif. in *Disp.* 1697. Vireberg. habita.

auspiciū anni *MDCXXIV.* fuerat. Erat etiam ea pace
cautum, ut ubivis locorum monasteria Temp̄la & Scholæ
conditionem ac statum recuperarent, quo Calendis Ja-
nuarii dicti anni gavisi essent. Hic sane annus *XXIV.*
est, qui in Comitibus publicis nunquam non respici solet,
& juxta quem omnia hodiernum quoque ordinantur.
Grata exinde mente divinam exosculamur providentiam,
quæ hac lege pacem nobis concessit. Rectè omnino hæc
pax cor & palladium libertatis Protestantium Religionis
audit: hæc quippe effectum est, ut sacra liberè obire,
cœlestem veritatem profiteri, pietatem tueri nobis liceat.
conf. Ad. Rechenberg. Diss. de statu Religionis in Ger-
mania §. 46. Gottf. Ludewigs Univers. Histor. Vol. I.
p. 556. lit. b. conf. Autor derer *Sächsischen Merckwür-
digkeiten*, L. III. P. II. p. 898. sub lit. (I.) Fructu eximie
hujus pacificationis ad hunc Annum *MDCXXIV.* per
immensam Dei gratiam fruimur. Est is septimus à *Ju-
bileo* * *nostra altero*; eoque magno & admodum solenni.
Constitutum erat eo temporis articulo levidentes has
meditationes *Vobis* offerre *Patroni Optimi*. Ast remoræ
complures conatui haud equidem magno, pio tamen ob-
stiterunt; quibus demum remotis vel postliminiò ad
propositum redeo, *Vobis* ea, quâ parest observantia &
animi demissione hoc quicquid est Schediasmatis, sacrum
esse jubeo. Et quos præter *Vestras Dignitates* tenues hæ
salutarent pagellæ? Vos enim, *Viri Magnifici atq; Nobi-
lissimi*,

* Inter Pontificios in specie Gramondus L. II. Hist. p. 175. sq. absq;
fundamento negavit, Jubilæum ab alio Principe, præter Pontificem
Rom. institui atq; celebrari debere, quum Jus circa sacra Principibus
denegari nequeat. vid. Rappolti Programma ad recolendam me-
moriā Reformationis 1674. qui Gramondum Pontificiorum er-
roribus dementatum dicit.

lissimi, estis, quos post tot negotia politica, post tot perplexos Juris casus, Ecclesiæ potissimum tangit salus; salus, inquam, ut totius, ita inprimis Dresdensis Ecclesiæ, cujus incrementum sub Vestro regimine ad modum augustum exitit. Multum igitur Vobis publico, plura privato nomine debeo, hancque occasionem gratias pro beneficio Vestro in meas Musas favore persolvendi avidissime arripio, Deum Ter optimum terque maximum venerans, velit, Vos omnes ac singulos Ecclesiæ, Republicæ, honoratissimisq; Familiis, quin imo & mihi quam diutissime salvos sospitesque tueri!

Dabam in pago Hohenweitschen ad Leifsnicium die
I. Nov. 1724.

Vestrarum Magnificentiarum, Nobilissimarumq; Amplitudinum,

cultor indefessus

Christianus Sigismundus Becker, P.



§. I.



Uod nobis hoc prorsus singulari & aureis literis in fastis notando anno, divina providentia exhibuit beneficium, illud, prout decet, æstimandi, celebrandi, extollendi ejusmodi quidem jus habemus, contra quod omnes Adversariorum Disputationes, contentiones, clamores, conatus, Deo procurante, sunt vani, inanes, irriti, verba vana contra Dei præsidium.

Equidem tristis, quem varia lætuosa nobis minantur phænomena, rerum nostrarum status, probos & sagaces viros voce potius gemente jubet exclamare: *O DEus, in que nos reservasti tempora.* Est tamen quod hilari, tripudiante, exultante potius sermone ad summi Nummis laudem nobis invicem gratulemur, & bono omine acclamemus: Optime DEus! quanta Tua est bonitas, quanta Sapientia, quanta Providentia! in quam læta, in quam singularia, in quam præclara, in quam divina nos reservasti tempora! Divina voco tempora hos ipsos dies, quos nos vivendo attingimus. Euge! attingimus tempora, quæ tot piæ animæ anxii exoptaverunt desideriiis, quibus etiam hoc ipso anno fuerunt fati propinque, ast injuriâ mortis dicam an beneficentia? his miseris terræ sedibus ereptæ, & ad æterna júbila translata. Nobis obtigit tale bonum
A quale

quale tot millibus nunquam contigit. Recolimus pio in DEum affectu memoriam divini illius beneficii, quod ante duo jam secula nostræ terræ exhibuit benignissimum Numen, dum Viri divinis quidem ornati dotibus, sed omnium ludibrio expositi opera nobis, imo non nobis solum, verum etiam aliis reddidit sacræ doctrinæ puritatem suavissimam. Ingratissimi essemus omnium mortalium, nisi singulares, imo immortales pro singulari isthoc beneficio DEO O. Max. ageremus gratias. Accusatura nos sane esset sera posteritas; imo accusatura nos esset pia & prudens antiquitas, quæ beneficia divina non ultimo habuit loco. Sequimur vestigia Majorum nostrorum, qui inenarrabilia & nunquam fatis prædicanda bona ad Religionis puræ restitutionem pertinentia, seculo transacto, grata memoria ac ritu solenni celebraverunt. Sequimur exemplum Electoris inter cœlites beatissimi & inter homines immortalis

Uhsens *Rit. & Hen. Hist.* JOHANNIS GEORGII I. atque hoc exemplum nobis est pro lege, fercul. XVI. & simus Princeps attigit, & non attigit solum, sed etiam pie & Ipse celebravit, & per totam hanc regionem celebrari jussit. Celebravit ann. Sax. fol. 334. Mulleri Annal. fol. 338. Id. in Annal. Sax. fol. 399. **338.** Tres annos seculares, moderante DEO, hic pietate & virtute præstantissimus Princeps attigit, & non attigit solum, sed etiam pie & Ipse celebravit, & per totam hanc regionem celebrari jussit. Celebravit annum supra sesqui millesimum centesimum decimum septimum in memoriam cœptæ per Lutherum doctrinarum repurgationis. Celebravit annum MDCXXX, ad gratias summo Numini referendas pro excellentissimo beneficio, quo doctrinam Evangelicam publicâ Confessione Augustæ declarandam curavit. Celebravit denique annum MDCLV. & quidem diem XXV. Septembris, quo ante Seculum liberum Religionis Exercitium Evangelicis in Augustanis Comitibus post Passaviensem sanctionem anno MDLII. factam, confirmatum fuerat. Sequimur Exemplum Electoris non minori laude dignissimi, JOH. GEORGII II. qui annum MDCLXXVI. in memoriam Formulæ Concordiæ ad tollendas diffensiones consignatæ celebravit. Horum vestigia premimus. **Ec-** quis audeat nostrum institutum reprehendere, nisi in beatissimos Principes

Müll. Annal. fol. 529.

cipes injurius esse velit? In memoriam his diebus revocamus merito, quicquid per hæc duo secula divina nobis præstitit virtus. Atque hûc tendit mentis nostræ cogitatio: Operæ enim pretium esse ducimus, & ipsa rei dignitas jure suo postulat, ut quid Dresdensis imprimis Ecclesia habeat, quod celebret, accuratius consideremus, quotquot huic celeberrimæ civitati benè cupimus. Expendamus, obsecro, præclarum Dei beneficium in eam per hæc duo secula collatum, dum *non solum verbum suum per eam radios plenissimos spargere jussit, sed etiam Magistratum hujus urbis Amplissimum excitavit*, ut promptissime operam suam ad amplificanda Ecclesiæ commoda adhiberet.

§. II.

Et primum quidem immortale & summis laudibus extollendum est meritum Principis pietate & excellentissimis virtutibus conspicui, **Henrici Ducis Saxonix**. Hic enim est ille Princeps laudatissimus, qui quum ipse jam dudum veritatem doctrinæ Evangelicæ per Lutherum ex tenebris revocatæ agnovisset, & amplexus fuisset, etiam huic civitati, anxie desiderantibus civibus, publicam ejus professionem impertivit & procuravit. Vita excefferat frater ejus, **Georgius Dux Saxonix**, d. 17. April. anni MDXXXIX, Princeps variis virtutibus celebris. Quanquam vero per totam vitam acerrimus Lutheri hostis & fervidissimus errorum Pontificiorum defensor esset: Non tamen satis celebrari potest gratia & providentia supremi Numinis, quæ in jobitu hujus Principis manifestissimè se conspiciendam exhibuit. Ita enim animum Principis morti proximi tetigit flexitque divina gratia, ut hortante Medico, Rothio, hanc verè Evangelicam proferret orationem: *Juva ergo me, fidissime Salvator, JESU CHRISTE, miserere mei & salva me per passionem & mortem tuam acerbam, Amen!*

Seckend.
Hist. Luth.
L. III. §. 71.
fol. 212.

Seckend.
sit.

videntia autem singularis in eo eluxit, quod quum Georgius filiis suis omnibus privatus terras suas fratri relinquere nollet, nisi fidem Romano-Catholicam profiteretur, & eum in finem legatos Fribergam mitteret, qui utrum frater consentiret, renunciare debebant; Henricus autem omnibus modis conditionem repudiasset; moribundus Dux prius vivis eriperetur, quam legati responsum Henrici explicare possent. Unde quancquam mors adversæ parti valde esset acerbæ, adeo ut Dux quidam Romani Imperii præcipiti & blasphemæ sermone prolato professus fuerit: Se malle DEum in cælo, quam Georgium Ducem mortuum; gaudium tamen verbis exprimi non potest, quo cives Dresdenses translationem Urbis in potestatem Henrici exceperunt. Maxima enim civium mediæ & inferioris sortis pars, jugi Pontificii jam dudum pertæsa, reliquis civitatibus felicitatem & libertatem spirituales doctrina Evangelii donatam invidebat, atque ardentissimis votis ortum lucis radios suos in Saxonia præelare spargentis exoptabat. Ita sane vim suam exerebant semina à Luthero concionem in templo aulico habente sparsa. Nempe sub initia Anni MDXVI. Johannem Staupitium, ut sibi mitteret pium & doctum Oratorem sacrum, rogaverat Dux Georgius; miserat Staupitius Lutherum, eumque insigniter commendaverat: quumquæ ei Ducis nutu cathedra in templo Ducis arci adjuncto aperiretur, præsentem Duce & reliquis ad aulam pertinentibus, egregia de certitudine salutis ex fiducia in meritum Christi resultante, peroravit, & plurimum audientium numerum intus permovit, ita ut honesta matrona, gynæceo præfecta, Barbara Salana, à Duce in prandio, quomodo illa placuisset concio, rogata, responderit: Si alteram talem audire potuisset, se animo tranquilliore esse morituram. Ineunte Reformationis opere Monachi ordinis Augustiniani sententiam Lutheri primo tempore anno MDXXI. approbarunt, à Georgio tamen repressi fuerunt. Interim anno MDXXIV, huc vocaverat Georgius Alexium Crot-

Fabric. Orig.
Sax. L. VII.
p. 859.
Seckend.
Hist. Luth.
ranism. I. I.
§. VIII. Add.
VII. f. 23.
Weck. Beschreibung

Crosnerum, qui in arce Evangelium prædicaret; quod in magno civium confluxu factum est, sed paucis annis post, nempe anno MDXXVII. rursus à Georgio dimissus esse traditur. Dum igitur annis sequentibus veritas clarius produceretur, cives harum concionum habitaram memores ad Exangelium recipiendum promptissimi erant. Nec inferiores solum sed & superioris ordinis homines, qui antea prædicatori ac temerario animo terras *se malle relinquere, quam Lutheri doctrinam sequi*, dixerant, maximam lætitiã testabantur, & profitebantur, *se jam diu tam fortunatam serio cupiisse mutationem*. Certum est, plerosque Henricum Ducem, eo ipso die, quo Georgius vita excesserat, sero vespere advenientem, Urbemque hæreditatis jure occupantem lætis gestibus & gratulationibus exceperunt, & postquam die 21. April. die Lunæ post Misericord. Dom. juramento fidei Senatus & Cives se ipsi obstrinxissent ad omne obsequium; factum est statim, ut die xxiii. April. qui Georgio sacer erat, in arce publice prædicator Dux ageretur, & primam concionem Evangelicam à Paulo Lindemannno, vel Lindenavienfi, haberi juberet.

von Dresden
fol. 307.
Seckend.
Hist. Luth.
L. II. §. 34.
f. 92. 93.
Weck. P. IV.
Tit. I. f. 308

§. III.

Et postea in hoc negotio omnia felici successu peragebantur. Nimirum d. 28. April. qui dies excipiebat Dominicam Jubilate, indulgentias, quæ hæctenus quotannis Feste Joh. Baptistæ, vi Bullæ Pontificiæ celebrari consueverant, Henricus abrogabat, & in nundinas sapienti consilio mercaturas illas spirituales mutabat. Feste SS. Trinitati sacro, quod tum in I. Junii incidebat, templum Crucianum idem Paulus Lindenavienfi Evangelii doctrina primum conferavit, eique in prædicando verbo Dei comitem se adjunxit Eberhardus, Altenburgensis. Sine omni difficultate d. 3. Junii ritus vani Pontificiam superstitionem nutriendas, veluti circuitus corporis Christi, omnes Missæ, Vi-

A 3

gilia,

giliae, & id genus alia penitus sublata & ex urbe relegata fuerunt.
Weck.f.308 Interim Petrus Eisenbergius, qui hactenus Pastoris munere functus
 erat, obstabat, quò minus res tam salutaris incrementa caperet: is enim
 renuebat Communionem sub utraque admittere. Res igitur ipsa dif-
 ferri debebat, donec Joh. Cellarius Francofurto advocatus in Eisenber-
 gii sponte sua munere se abdicantis locum successisset, & d. 27. Junii,
 qui erat dies Veneris post Festum Johannis Baptistæ, solenni ritu con-
 secratus esset. Interjecto brevi tempore, Festo Visitationis Mariæ
 celebrato, ipsa Dominica Vta post Trinit. d. 6. Julii, cultus publicus in
 Templo Cruciano solenni ritu purgatus, & nitore suo debito redditus
 fuit. Scilicet hoc ipso die, præsentè Electore, JOH. FRIDERICO, &
 Duce HENRICO, ac utriusque Conjuge, magna hominum frequentia,
 primum Missa sancta Evangelico ritu, verbis institutionis Germanico
 idiomate ab Ecclesiæ Ministro decantatis, & Eucharistia sub utraque
 specie administrata, Choro Musico Introitum: Kyrie eleison, & pro-
 fam de sancta Trinitate modulante, celebrari cœpit, quod dum fiebat,
 cum summo gaudio & gratiarum actione cives maxima copia congregati
 opus Dei venerabantur. Imprimis illud notandum est, quod de
 generoso, pio & forti Ducis Henrici animo certissimum perhibet testimo-
 nium. Paulo ante laudatissimum hunc templo Cruciano reddendi cul-
 tum Evangelicum conatum, FERDINANDO Rege Romano auctore, ad
Seckend. H. §.71.add.3. HENRICUM mittebantur Sebastianus à Weitmühle & Christophorus à
Luth.L. III. fol.214. Mendorff, Consiliarii Bohemici, qui HENRICUM primum blandissimis
Weck.l. c. f.309. vocat verbis ab introducenda in occupatas Georgii terras religione Evangeli-
Gendorff. ca dehortarentur, tum verò gravissimis minis adjectis, inprimis Impe-
 ratoris ira denunciata, deterrent. At verò istartum blanditiarum &
 minarum nullâ habitâ ratione, verbi divini virtute & conscientiæ suæ
 certissimâ convictione nixus Henricus, generoso animo consilium lau-
 datissimum persequebatur, & imperterritus veritatem divinam publice
 plebi

plebi proponendam curabat, Nec in eo substitit ejus cura, sed etiam
 mox die octavo Julii, Kiliani die, præviâ collatione cum Electore Jo.
 Friderico ejusque Consiliariis, Visitationem Ecclesiarum & Scholarum
 in hac urbe & in omnibus locis ad suam ditionem pertinentibus de-
 cernebat, eique negotio destinabat D. Justum Jonam, Melchiorẽ à Seckend. L.
 Cruce Præfectum Colditiensem & Leisnicensem, M. Georgium Spaa- Ill. §. 72. fol.
 tinum, Casparem à Schönberg, Reinsbergæ Dynastam, Rudolphum, à 220.
 Rechenberg, quibus in progressu operis etiam alii additi fuerunt. Il- Müll. Annal.
 li negotii hujus saluberrimi felicissimum faciebant initium in hac ipsa Sax. fol. 94.
 civitate die Julii decima quinta; tandem vero sub finem anni die De- Weck. l.c.
 cembriis vigesimo cum Monachis Augustiniani Ordinis in antiquo fol. 309.
 Dresdensium oppido commorantibus, & postero die etiam cum illis,
 qui in novo oppido sedes suas habebant, & regulam Francisci seque-
 bantur, actum est, eo quidem eventu, ut omnes lubenter postulatis
 annuerent, vestesque suas exuerent. Reditus autem ad sustentandos
 viros rei sacræ & Scholasticæ inservientes destinati fuerunt. Est hoc
 profectò tam illustre in Ecclesiam Dresdensẽ meritum, quod à quo-
 vis cive cum devota Numinis veneratione meretur expendi. Ita pietas
 HENRICI Ducis Saxonix egregium devoti sui animi statuit monumen-
 tum: sed & dignum pietatis suæ retulit præmium. Nam de hoc Prin-
 cipe optimo literis tradidit Sebastianus Rotha Anerbachius, eò tempo-
 re, quo bellum in Phrysia gereretur, militem quendam defixis & in- Fabric. Sax.
 tentis oculis HENRICUM cibos capientem adspexisse, & quum HENRI- Illustr. L. IX.
 cus causam, quid in se desideraret, percontaretur, divinatorem pri- fol. 94.
 mum quidem tacuisse, sed postea, severius urgente duce, prædixisse:
Tempus aliquando fore, ut HENRICUS solus univ̄erse paternæ &
hereditariæ ditionis parte potiretur. Quanquam vero eo tempore
 pius Princeps fratri suo GEORGIO longævam vitam apprecatus, vatem à
 talibus prædictionibus abstinere jussit: eventus tamen, sapientissimo Nu-
 mine

mine ita dirigente, prædicta hæc re ipsa maximo civitatis hujus emolumento comprobavit. Eventus etiam hoc ipso respondet iis, quæ vir summis ad reformandam Ecclesiam dotibus præditus Lutherus, fiducia in DEum plenissimus dixit: *Se confidere, fore, ut licet Georgium habeat hostem sibi infensissimum, tamen ipse, in ipsa regione, que Georgii nutui parebat, Evangelium letissima voce prædicet.*

§. IV.

Felicem Urbem, quæ, puriori cælestis veritatis doctrina reddita, ab onerosissimo in conscientias dominatu liberata fuit! Felicem Ecclesiam, quæ remoto omni cultuum superstitiosissimorum squalore, nitidior forma prodiit. Felices Cives, quorum desideria & vota post diurnam sitim singulari divinæ providentiæ beneficio plenissime fuerunt exsatiata. Quum vero non minor virtus esse soleat, quam quærere parta tueri, ut in proverbio dicere consuevit, gratissimæ sane animo veneranda est summi Numinis bonitas, quod eorum, quæ Dresdensibus repurgata doctrina & pristinae simplicitati restitutus cultus publicus attulit, excellentissimorum bonorum cumulæ sequentibus temporibus non conservaverit solum, sed majoribus etiam gratiæ speciminibus auxerit, atque hac ratione signum veluti infinitæ suæ bonitatis hoc in illustri loco erigendum statuerit. Prædicanda verò submissis laudibus & posterorum memoriæ commendanda sunt Virorum in luce positorum & Numinis supremi independentem auctoritatem legislatoriam suo modo referentium saluberrima instituta, & ad Ecclesiæ, quæ in hac urbe Christo colligitur, ornamentum pertinentia opera & beneficia, quorum non exiguam enumerare licet partem. Optarem, ut insignia merita, quibus Magistratus hujus Urbis Amplissimus repurgatam Ecclesiam sibi reddidit devotissimam, amplo verborum apparatu & sublimi

sublimi dicendi genere possem exprimere, ut adeo rerum, de quibus dicendum, amplitudini & præstantiæ, orationis etiam responderet dignitas. Sed cum ipsa egregia corporis pulchritudo, oculorum vigor, faciei forma, elegans omnium membrorum proportio, puellam tenuibus etiam minusq; pretiosis indutam vestibus ornet; quum forte ac egregium vinum fragili vitro receptum nihil de suo pretio amittat, ego etiam confido, orationis meæ tenuitatem nihil impedituram, quo minus ipsorum meritorum & beneficiorum præstantia ubivis elucescat. In laudibus ergò Senatûs Amplissimi emolumentorum hujus Civitatis curam sedulam gerentis, illud primum ponendum est, quod bona ex abrogatis magnis, qui ad celebrandas Missas, solennitates annuas, aliasq; ceremonias, quarum magnam vana Pontificiorum devotio subindè auxit cumulum, recepto more observandas, destinati fuerint, sumptibus, Ministris Ecclesiæ, rei Scholasticæ peritis alijs; opum penuriâ laborantibus, sustentandis egregia fide adhiberent.

Weck. I. c.
fol. 312. /a

§. V.

Quum vero Ecclesiæ & Reipublicæ Seminaria sint Scholæ, quæ idoneis Magistris, & bono ordine ac disciplina instructæ, emolumenta nunquam satis prædicanda afferant, omnindè inter beneficia in Ecclesiam collata referendum, quòd Senatus statim post extensos Lucis Evangelicæ radios, monente per Visitatores HENRICO Duce, Anno MDXXXIX. Scholæ rectè constituendæ curam susceperit, imo etiam posthac Scholæ primariæ duas novas laudabili instituto adjecerit, quarum altera ad pueros arte scribendi & Arithmetica imbuendos, altera ad puellas rebus sequiori sexui necessariis instruendas pertinuit. Nec in eo solum Senatûs Nobilissimi cura inde evigilavit, ut idonei Magistri Scholis singulis præficerentur; Verum etiam non aded multis lustris post novum curæ paternæ editum ab Ipso est specimen. Ædificium, quod Scholastico usui destinatum erat, ruinam videbatur minari; succurrit opportuno tempore sin. Egenol-Senatûs cura, ita ut nullis sumptibus parceretur. Nam quanquam si Program-nova Musarum sedes constituenda ferè 2432. florenos, & quod ex-mat. Scho-currir, last. p. 110.

Weck. I. c.
fol. 284.

B

currit, absumperit, omnes tamen, quas rebus propriis magis, quam publicis, attentæ mentes movere poterant, difficultates alacri studio vicit Mæcenatum liberalitas, ita ut Anno MDL.VII. non solum ædificii hujus exstructio suscepta, sed & felicibus avibus absoluta fere fuerit, unde etiam die Mercurii, quæ Severi diem excipit, bonis literis dicatum domicilium piis precibus consecratum fuit. Stetit hæc literarum cultorum domus per mediam seculi partem usq; ad annum MDCXIX. quo denuð Senatus cura eandem renovare & pristino suo nitore externo restituere jussit, cujus rei memoriam Tabule lapidea foribus imposta recolit, quæ aureis literis hæc verba oculis exhibet:

AD DEI GLORIAM ECCLESIAE
Salutem & totius Urbis
Usum.

Hanc pietatis & literarum Of-
ficinam Amplissimus Reipubl.
Dresdensis Senatus Anno Chri-
sti MDL.VII. ædificari, sed
Anno Christi MDCXIX. re-
novari suis curavit sum-
ptibus.

Ad Juventutem:

Huc propera, studiose puer, tibi discere Christum
Sic prior, hinc artes, altera cura, bonas.

§. VI.

Sed ab æde Musis sacra jam ad ædes summi Numinis cultui dicatas redeundum est. Quum Templum à cruce Servatoris nomen gerens, populo, qui quotidie augebatur, recipiendo, præcipue in Eucharistiæ administratione, capax amplius non esset, Senatus ab
Ele.

Electore gloriosissimo AUGUSTO, Anno MDLIX. precibus impetravit, ut etiam in æde, quæ in honorem B. Virginis olim exstructa erat, conciones sacræ singulis diebus Solis haberentur, simulq; S. Cæna dispensaretur, cujus rei etiam initium mox die Domino Consecratâ, cui nomen Judica impositum est, factum fuisse legitur. Vix duo elapsi fuerunt anni, quo novum extollendum erat Senatûs providi beneficium. Hactenus Super Intendentem quatuor tantum Diaconi, rei sacræ vacantes circumstabant. At Anno MDLXI. creatur novus, idque eo consilio, ut cultum sacrum in æde B. Virginis Evangelico ritu perageret; Nec silentio prorsus involvendi sunt sumptus in restaurationem turris, quæ non leve templo Cruciano conciliat decus, impensi. Turres ædium sacrarum nullius equidem multis, qui rem non satis maturo expendunt judicio, videri poterant momenti: Sed quis nescit campanarum, tintinnabulorum & Hier. Magi- horologiorum necessitatem? Quem fugit, magni utiq; referre hæc us Libr. de in eminentiori loco suspendi, tinnitumq; edere? Quem deniq; la- Tintinnab. tet, maximum ex cura vigiliam in turrium fastigiis positorum in to- Cap. XVI. tam civitatem redundare emolumentum? Quia digitorum instar p. 82. sq. cœlestia demonstrare, & sursum corda, ut ferant, templa visitantes commonefacere quasi solent. Hildeberto sanè, Archi Episcopo Tu- ronensi haud in-celebratissimo in pretio ornamenta ista templorum erant, ut manuum pedumq; vincula cum carceris injuriis, quam tur- rium jacturam, qualem Rex Rufus irâ tum accensus minabatur, pati vid. Vitam maluerit. Eleganti turrium in agro Misnensi conspicuarum structu- Hildeb. ab ra mirificè capiebatur, Jacobus Tollius. Quid de ea, qua Crucianum Anton. Bedu- superbit templum, scribam? Hæc campanas hactenus gestaverat, sed ■gendre, non amplius oneri ferendo par videbatur; Annuente itaq; Serenif- concinna- simo Electore AUGUSTO, qui Ipse duo imperialium millia ex æra- tam operi- rio suo clementissime fuit elargitus, & procurante inclyto Senatu busq; ejus Anno MDLXXIX. de novo exstrui cœpta Anno MDLXXXII. in fa- A. 1708. edi- fligium tantum surrexit: Postmodum Anno MDCLXIX. die 29. tis, prænis- Aprilis cœlo tacta & luctuosissimo incendio penitus ferè consumpta, sam. in Epist. JO. GEORGIO II, Saxonicas res moderante magnis sumptibus fuit itiner. III,

reparata. Taceo portam occidentem versus sitam, quæ prospiciente Magistratu, anno MDCLXXVII. renovata vartisque modis ornata fuit. Taceo alias mutationes laudibus nunquam intermorituris dignas, quarum in numero habendum est, quod anno MDCCI. die 10. Februarii etiam die Jovis S. Cœna in templo memorato administrari cœperit. Taceo Examen singulis Mercurii diebus, horis pomeridianis in usum confitentium ibidem institutum, quod die XVII. Sept. Vir admodum Reverendus, Dominus M. Herman Joachimus Hahn, primavice habuit.

vid. beschäff-
figt. Secre-
tar. Exped.
XXV. p. 73.

§. VII.

Weck. l. c.
fol. 256. Ad ædem Sophiæ accedo: Hæc uti ante Reformationem non publico cultui, sed Monachorum saltem superstitiosæ devotioni, ac virorum præclarorum sepulturæ inserviebat, ita etiam luce Evangelicæ fausto sidere Dresdæ anno MDXXXIX. exorta, per aliquod temporis spatium desolatum mansit. Sed Senatus Amplissimus Administratorem Electoratus, Ducem Altenburgersem, FRIDERICUM WILHELMUM, qui CHRISTIANO I. vita functo, rerum gubernacula tenuit, submisit adiit, & ab Eodem die 22. Novembr. An. MDXCVII. impetravit, ut templum laudatum ipsi ad sepulturam hominum benè meritorum ibidem instituendam simulque stabulum equorum ædi proximum removendi, interiorem vero templi faciem ornandi atque cultui publico adaptandi concederetur. Paucis interjectis annis, curante Serenissimi Electoris, CHRISTIANI I. Vidua, pietatis amantissima, SOPHIA, Brandenburgica stirpe nata, hoc ipsum templum aulicorum usibus ad cultum divinum ibi celebrandum per aliquod temporis spatium fuit destinatum; inde contigit, ut anno MDCII. die Jo. Baptistæ Sacro, hora matutina octava ad nonam usque à Polycarpo Lysero prima concio in hac æde habita, & cultus publicus in Aulicorum gratiam, eo quod in arce templum ordinarium esset restaurandum, ad tempus autumnale ibidem continuatus fuerit. Anno MDCX. illustrissima Princeps egregium suæ munificentiae in dicto templo statuit monumentum. Quemadmodum enim Ipsa insigni veritatis divinæ amore semper flagrant; ita etiam impensissimum suum in rem sacram affectum

facultas

affectum luculentissimo specimine declaravit: tria enim florenorum millia voluntate clementissima eum in finem erogabat, ut singulis Lunæ diebus, horis matutinis, peculiari concione à Ministris Ecclesiæ civium salutis procurandæ invigilantibus, prima Religionis elementa Catechetica populo explicarentur. Eadem etiam constituit, ut die Solis horis pomeridianis cultus precibus & hymnis celebraretur. At anno sequente, MDCXI jubente Serenissimo Electore, CHRISTIANO II. ipsis etiam diebus, Domini resuscitati memoriam renovantibus, horis pomeridianis sacri ad populum perorari cœperunt sermones, initium faciente M. Michaele Niederstætero, aulici templi Antifiste. Nec occasio oblivioni tradendâ, quæ instituto huic maxime pio an-
 sam dedit. In magnum Serenissimus Elector Christianus II. Ejsdem Weck. l. c. f. 237. Mul-
 Frater conjunctissimus JO. GEORGIUS I. conjiciebantur vitæ pericu- ler. Annal. Sax. ad An-
 lum. Dum enim uterque die 23. Junii MDCII. navi vectus, Pirna no 1602.
 Dresdam tenderet, accidit, ut ex pulvere pyrio ignem concipiente, non
 solum ipse Elector læderetur, sed Frater Ejus, JO. GEORGIUS, navi
 ejjiceretur in fluvium. Ast Principe laudatissimo, quem divina Provi-
 dentia Ecclesiæ pariter, ac Linæ Albertinæ servandæ destinaverat in
 defessa fidelis nautæ opera ultimo vitæ discrimiⁿⁱ erepto, Elector in hu-
 jus præstantissimi beneficii memoriam conciones ante commemora-
 tas institui jussit. Tandem vero, ne quid huic ædi deesset, anno
 MDCXCII. mense Julio Senatus Amplissimus obtinuit, ut horis etiam
 matutinis cultus publicus singulis Solis aliisque festis diebus celebra-
 retur, atque concionibus sacris populus erudiretur. Novus proinde
 Diaconus constituitur, & plurimum Reverendo Ministerio hujus Ur-
 bis qua membrum adjungitur, ita tamen, ut primum ipsi nihil cum
 operibus, quæ vocamus, diaconalibus, esset commercii. Fuit is maxi-
 me Reverendus Hausenius, quem postea templum B. Virginis recepit,
 quique ut diu floreat, omnes boni exoptant. Habuit autem ad al-
 tiora evectus in hoc munere successores Georgium Henricum Gœzi-
 um, Christianum Krumbholzium, & Christianum Ernestum Philippi,
 quorum postremus inter Diaconos Crucianos primus locum obtinuit
 & vices hebdomadales Antecessoribus denegatas primum exercuit.

Sed quum Vir iste admodum Reverendus de statione sua decessisset, Senatui Amplissimo visum est, ut Archi-Diacono, qui jam tum tertium in Reverendo Ministrorum Ecclesiæ hujus urbis ordine tuebatur locum, munus in Templo Sophiæ conciones sacras quibusvis diebus Dominicis & Festis ante meridie habendas committeret, quam provinciam ad hunc usq; diem indefessa cura atq; dexteritate maximè Reverendus Dominus Beckerus gessit, cui quippe Patrueli meo ac Præceptorum olim in Afræneo ea, quæ par est reverentia colendo, omnem bonorum cumulum ardentissimis votis apprecari jubet pietas.

§. IIX.

Hilscher in
Nachr. zum
Andern Ju-
bel-Fest,
p. 16, n. 13.
Weck, l. c.
f. 274. 276.

Jam pauca quoque de Templo Palæo Dresdensi dicenda sunt, Vel sola vetustate se nobis istud commendare videtur, siquidem ante Reformationem à tribus Regibus nuncupabatur: Anno demum MDXXXIX. Evangelicorum Usui cessit, & subinde Senatûs Nobilissimi cura fuit ornatum. Taceo Baptisterium, quod Anno MDLXV. erigebatur. Taceo præclarum Organum Musicum, quod An. MDXVI. primum exstructum; postea autem Anno MDCVI. & MDCVII. restauratum; Anno MDCLI, denuo permutatum & auctum fuit. Taceo duas ex ligno quidem confectas superstructiones, excipiendis hominibus aptas, quarum inferiorem Anno MDLXVIII. superiorem Anno MDCXVII. paratam esse legimus. Quis ignorat turrinam, quæ Anno MDCVIII. fulminis ictu percussa fuerat, anno sequenti forma multo præstantiori in altum fuisse evectam qua de re tabula lapidea superius olim posita testimonium perhibebat:

Anno Christi MDCIX. XXIV.
Aug. sub illustrissimo Principe
ac Domino, Domino CHRIS-
TIANO II. Duce Saxonie Ele-
ctore superius hujus turris æ-
dificium cum Deo feliciter in-
choatum, anno autem sequen-
te ad finem opatum per-
ductum

ductum est, è collectis
sumptibus Ecclesiæ nostræ
divina benedictione largitur
communicatis.

**Summa Deo laus sit, qui nos juvat, auget & ornat,
Hic vigilans custos semper adesse velit.**

Quum vero Cœmeterium, quod olim ipsum cingebat templum, vāriis incommodis esset expositum, consilium de novo sepeliendis defunctorum corporibus apto eligendo, fuit ineundum. Destinatus igitur ad hunc finem fuit locus, in quo hodie adhuc corpora mortuorum terræ mandantur, & simul muro lapideo circumdatus Anno MDLXXVI. Sed quem admodum nihil in his terris tam pretiosum, tam sanctum, tam præstans, tamque utile est, quod non innumeri calamitatum casus nobis possint eripere; ita etiam hoc præclarum ædificium voracibus ignis flammis totum Anno MDCXXXV. absumptum dolebant miseri hujus oppidi incolæ, quorum & ipsæ domus immanem flammarum vim expertæ erant, Miseris tamen non defuit Magistratus venerandi cura; hæc enim factum, ut ex cineribus nova, quam nunc conspiciamus, Phœnicis instar, exurgeret structura, nitoris laude profecto non defraudanda. Nec vilipendendum esse hoc curæ Nobilissimi Senatus specimen, vel ipsi sumptus erogati, sex mille florenorum summam excedentes loquuntur. Quo minus vero turris hæc hactenus fuerit exstructa, non leves, quæ opus hoc differri jubebant, fuerunt rationes.

§. IX.

Sed nequaquam Urbis splendidissimæ mœnibus Amplissimi Senatus sese continuit provida cura. Extra portam enim exspatiantibus statim Templum ornatissimum ab Anna denominatum, occurrit. Hoc post repurgatæ Religionis tempora ex ipsis fundamentis Anno MDLXXVIII. indulgente gloriosissimo Electore AUGUSTO fuscitatum fuit. Ædes nimirum S. Bartholomæo olim sacræ multitudinem hominum ex suburbiis & sex pagis ad audiendum verbum Dei confluentium continere amplius haud poterant; accedebat angustia cœmeterii

Weck. l. c.
fol. 269.

terii tot defunctorum ossa minimè capientis. Tantum igitur apud
clementissimum Principem valuerunt civium verbi divini cupidissimo-
rum preces submississimæ, imò ut verius dicam, tantum pondus illu-
strissimæ Conjugis Annæ pro subditis intercedentis auctoritas habuit,
ut amplum illud spatium, quod olim Nicolaus Drosse. & deinceps
Franciscus Naumannus possedit, ad pium hunc usum clementissimè
civibus concederetur. Concedebatur autem die octavo Martii, e usq;
rei notitia ad cives deferebatur die sequente. Nec sine omine factum,
quod die Martii decimo fœmina primum in Cœmeterio sepulta ipsius
Annæ nomen gereret. Indefessa diligentia opus exstruendi templi
continuatum, & hoc ipso anno eo usq; absolutum fuit, ut die vigesimo
sexto Julii, in quem Dom. VI. post Trinit. tum incidebat, quiq; in fastis
Annæ referebat nomen, præsentè Serenissimo Electore, Ejusq; Conjugè
Illustrissima, ANNA, magna; Aulicorum corona, Daniele Grefero,
Super Intendente verba ad populum faciente, summi Numinis cultui
consecraretur, ejusq; præsidio præpotenti commendaretur. Nomen
Annæ hæc domus sacra refert, non quasi superstitioso & idololatrico

Hospin. de
Orig. Tem-
plor. p. 106.
b.
Chladni In-
ventar.
Templor.
cap. IV. pag.
392. 1q.

ritu S. Annæ consecrata fuerit, qui Pontificiorum ab Ethnicis hæredi-
tario jure acceptus error est, sed tum quod die Annæ, uti jam mo-
nui, nomen in fastis gerente dedicata, tum maxime, quod illustrissi-
mæ ANNÆ, quæ multum apud Conjugem Serenissimum AUGU-
STUM valebat, auctoritate supplicibus suburbanis fuerit concessa,
Templo Schola adjiciebatur, in qua Rector & Cantor usque ad hæc
tempora indefessa opera in instituenta juventute tenera perfuncti
fuerunt. Agebatur annus MDCXIX. quum hoc templum, quod co-
piæ auditorum insufficiens esse incipiebat, insigni modo amplificare-
tur, præterea etiam nova turri ornatus redderetur. Primis tempori-
bus unus Ecclesiæ Minister cultui sacro in hac æde peragendo suffi-
cere videbatur, unde etiam Paulus Preschnerus ex Bartholomæi tem-
plo huc vocatus, solus primum hoc sacrum munus obiit. Et per lon-
gum sane temporis intervallum unius opera in re sacra administranda
nisi sunt auditores, Crescens multitudo liberalitate Amplissimi Senatus
denudò indigebat, Itaq; Anno MDCLXXX, mense Septembri Diaco-

AUS

nus Pastori adjungitur, qui etiam primum ad concionem singulis diebus Solis in templo Joannis, germanico idiomate habendam obstringebatur, quo tamen obligationis vinculo sequenti anno fuit liberatus. Ecquis verò est nostrum patriarum rerum tam ignarus, ut quid annis superioribus laude & gratiarum actione dignum gesserit Magistratus laudatissimus ignoret? Quis est, qui non inter præstantissima beneficia ab amplissimo Urbis hujus Senatu profecta referat, quod An. MDCCXII. & sequentibus idem templum, qua majorem partem, fuerit restauratum, amplificatum, pluribus auditoribus recipiendis accommodatum? Omnes qui in isto templo ad optima quævis facienda excitantur, Magistratui omni bonorum & felicitatis genus merito apprecantur.

§. X.

Haud minori pietatis affectu agnoscendum est, quod Templum Joannis à Senatu Nobilissimo, crescente incolarum numero fuerit exstructum. Nimirum quum Anno MDLVI. publica Ecclesiarum institueretur Visitatio, Ministri Ecclesiæ & Scholarum conquesti sunt, se exuvias de mortuorum usque ad Cæmeterium Bartholomæi ante portam Wilsdorffensem comitando, nimium temporis aliis gravioribus negotiis impendendi perdere. Accedebat & ipsa Cæmeterii dicti angustia, quippe quæ tantam ossium in dies elatorum copiam ferre minime poterat. In eo ergo elaborandum erat, ut utriq; incommodo occurreretur. Quam ob causam horti & domus nonnullæ privatorum publicis sumptibus emebantur, & Cæmeterio ampliori pariter ac templo exstruendo destinabantur, quod spatium Anno MDCXXXIII. ultorius fuit extensum. Quum etiam Serenissimi Electoris nutu Anno Weck. I. G. MDCXLIX. illis, qui Bohemia propter Evangelicæ Religionis profes- fol. 321. sionem expulsi huc confugerant, libertas cultum sacrum sermone Bo. Hilscher. hemo in dicto templo celebrandi concederetur, Senatus Nobilissimi Nachr. zum cura in id cooperata est, ut Ministro Ecclesiæ constituto de victu & II. Jubil. p. reliquis ad sustentationem pertinentibus prospiceretur. 18. S. 16.

§. XI.

Sic Senatus Nobilissimi provida cura Dresdensis Urbis pomæriis nequitquam sese continuit, sed longius etiam extensa fuit, Luculentum hæc

hac de re jam producemus specimen. Annus fluebat MDCCII, quum
 Loschwizensis agri cultores prolixis Senatam prudentissimum submis-
 se interpellarent, precibus & quæ ex defectu proprii templi pateren-
 tur incommoda, exponerent Inter alia autem infantum recens
 natorum Baptisimum, periculosissimam ægrotorum ac agonizantium
 sortem, Ædem à B, Virgine denominatam nimis remotam, sepultu-
 ram ob Cœmeterii distantiam admodum difficilem, aliorumq; deniq;
 pagorum superiorum à Parochia Urbana separatarum exemplum alle-
 gabant. Variæ sub initium huic instituto objiciebantur remoræ, sive
 ipsum Ministrorum Ecclesiæ hujus Urbis ordinem, sive Amplissimum
 Senatam respiceres. Vicit tandem precum æquitas & Patronorum Ec-
 clesiæ munificentia. Hinc Deo dirigente, supremo Senatu Ecclesiastico
 consentiente effectum est, ut Anno MDCCV. die XXIX. Junii prima
 sacræ ædis jacerentur fundamenta: quumq; ex calamitatibus illorum
 temporum, quæ nulli nostrum non sunt notissima, lentius hoc opus
 laudabiliter inceptum procederet, Anno tamen MDCCVIII. profus est
 perfectum: Qua propter etiam die tertio Augusti dedicatio hujus ædis
 solemnè & Christiano ritu peragebatur. Albo omnino caleulo notan-
 dus est ille dies, eo quod nomen Potentissimi & clementissimi Regis no-
 stri, cujus indulta ista omnia patrabantur, referebat. Utq; perpetua hu-
 jus insignis beneficii extaret memoria, Nummum in templi inaugura-
 tione excusum, qui duos Joachimicos pretio superabat, Senatam Am-
 plissimum distribuit. Visne ut hunc Tibi nummum describam, & quid
 ei inscriptum fuerit, referam? Sane ea, quæ in isto conspiciuntur, vel
 eo etiam nomine notanda sunt, quod doctrina & prudentiâ præstan-
 tissimus, quem ipse Senatus in sinu gestat, inscriptionem, quem vocant,
 composuit. Nimirum in altera parte conspicitur Ædis sacræ Losch-
 wizensis effigies, his adjectis verbis;

actate

Behrischius,

Reddimus indultæ sic TIBI pacis opus.

Groskurt fecit:

In altera parte sequentia leguntur;

DEO

DEO
nostro clementi
pro
vita & incolumitate
Sereniss. & Potentissimi Regis
FRIDERICI AUGUSTI
Principis Electoris Saxonis,
Servata item hisce temporibus
Dresdensium Civitate
cum Ædis Losvitii XXIX. Jun.
MDCCV. exstrui cœpta
die Augusti M. Aug. III.
MDCCVIII.
sacris initiaretur
grates missis precibus
aguntur.

Quemadmodum autem Nobilissimus Senatus nullis in hoc negotio devotè celebrando sumptibus pepercit; ita etiã Regia Majestas eidem Jus Patronatus eo modo indulfit, quod illud in Templum B. Virginis jam pridem possedit. Ea, quæ sustentationi Pastoris sunt, ita sapienter distribuebantur, ut cœtus Losvicensis & Wachwizensis CXXIV. florenos & XIV. grossos quotannis solverent, reliquam autem argenti summam, quæ ad complendum CC. florenorum numerum superest, nobilissimus Senatus laudatissima liberalitate ac promptitudine aliunde impertiri decrevit. Præfuit hactenus sacro in hac æde muneri Vir admodum Reverendus, M. Jo. Arnold, cui ulterius vitam ac incolumitatem perennem apprecamur.

destinata

§. XII.

Ordine nunc ita monente provehimur ad commemorandum novum idque non spernendum aut negligendum in Ecclesiam meritum, quod quippe recentissimum in omnium adhuc hæret memoria. Jam Anno MDCLXXXV. egregio misericordiæ documento curam suam vigilantissimam patefecerat Senatus Venerandus. Empto enim Seifii horto exstruebatur domus Orphanorum nutriendorum capax. Existimabat

mabat quippe haud postremam esse curæ Magistratus partem, ut parentibus orbatorum ratio habeatur. Quando enim parentes proprii iniquo mortis fato abripiuntur, infantum debiliū curam ad communes omnium civium parentes, qui Magistratus sunt, pertinere Juris Naturæ principii edoceamur. His rationibus motus Amplissimus Senatus consilium de miserorum Orphanorum vita sustentanda moribusq; rectè formandis cepit. Exstruendam proinde curavit domum, quæ orphanos reciperet, omnibusq; necessariis requisitis ita structa esset. Non deest orphanis victus, non deficit amictus, non desunt cubilia, non desunt, qui ipsos utilibus negotiis aptos reddant, non desunt magistri, qui ipsis, quomodo legere & scribere valeant, exponant: non desunt, qui pietatis & religionis elementa ipsis tradant, nec denique desunt, qui corpus nutriant, purgent, sustentent. Beatissima Serenissimi Electoris Jo. Georgii III. conjux, ANNA SOPHIA, cujus funus luctuosissimum omnium adhuc deplorat Saxonia, singulari munificentia A. MDCLXXXVII. non spernendum beneficium ad hoc opus feliciter promovendum contulit, cujus exemplum alii sequuti sunt, qui gloriosum esse duxerunt, præclaras imitari Superiorum virtutes. Nec defuerunt anni, quibus plus quam ducentos & quinquaginta orphanos nutritos fuisse demonstrari potest. Desiderabatur autem primis Annis Templum, in quo cultus publicus in gratiam tum orphanorum tum aliorum haberi posset. Quum enim sine supremi Numinis cultu ejusdemq; publica professione omnia reliqua progressu fausto destituantur, rectè omnino judicaverunt Viri religiosissimi teneros orphanorum animos in publico etiam cœtu ad salutarem Christi cognitionem esse perducendos. Quantum cunq; vero impedimenti se objecerit, prudentiâ tamen, vigilantia & industriâ Nobilissimi Senatus effectum est, ut oratorium peculiare sumptibus duo millia florenorum summam ex cedentibus d. 23. Jul. MDCCXI. cœperit exstrui. Nec frustra illud ædificatum fuit; Nam non solum singulis diebus Solis concionem à Theologis celeberrimis editam, prælegente orphanis morum moderatore Deo horis matutinis hæctenus exhibitus honor, sed & pomeridianis peculiari studio Examina Catechetica à tribus Diaconis Ecclesiæ Crucianæ posterioribus

bus fuerunt instituta. Dicendum nunc etiam esset, de Scholis in Usuni pauperum constitutis, quarum tres ante Portam, qua Pirnam itur, An. MDCCX. & XI. quarta autem & quinta ante portam Wilsdorffensem anno superiore, Senatu amplissimo procurante, fuerunt apertæ. Dicendum esset de domo, quam ad egenos & omni ope destitutos recipiendos & sustentandos Idem benevolè extruendam hoc ipso anno curavit: Hæc utiq; talia sunt, quæ fusiolem orationem, elegantius dicendi genus, magis eloquentem requirunt Oratorem: in me quidem tantam dicendi scribendive vim non sentio, ut hæc omnia pro dignitate enarrare, vel laudibus pro meritis ex tollere valeam.

§. XIII.

Neminem profecto tam stupidum esse existimo, qui non insigne horum meritorum pretium, si mediocriter saltem attenderit, intelligat. Nihil Magistratui Christiano majus decus, ornamentum, solatium, imò præsidium afferre potest, quam religionis sanioris cura. Hanc si in Republica vigere & florere jusserint, salva est etiam Imperantium auctoritas, tuta & ab omnibus insidiis libera præcipientium vita. Ipse Aristoteles, Gentilium Philosophorum haud postremus docuit, religionem quidem præcipuum esse eorum, in quibus salus Reipublicæ consistit, atq; adeo imperantibus in primis debere esse commendatam. Immortalis omnino semper manet memoria gloriosissimi Principis JO. FRIDERICI Magnanimi, qui tantam Religionis purioris habuit curam, ut libertatem & dignitatem lubentissimè ejus causa perdidit, invictissimæq; constantiæ suæ exemplo quam plurimos ad veritatis cælestis amorem excitaverit. Hujus, quum terris suis hæreditariis esset restitutus, prima fuit cura, Ecclesiæ & Scholarum præcipuam habere rationem, nec Ipse solum in labore tam divino desudavit, sed etiam filios suos testamento condito paterne exhortatus est, ut rem sacram omni modo promoverent, eumq; in finem idoneos Ecclesiæ Ministros & Scholarum moderatores constituerent, & sustentarent. Secuti sunt paternam exhortationem posteri, nec tacere possum munificentiam, quâ Festum seculare repurgatæ Ecclesiæ primum devote celebrans, pietatis suæ præclarum statuit monumentum Jo, Erne-

L. VIII. Po-
lit, c. 8.

Muller. An-
nal. Sax. ad
Anno 1553.
fol, 121.

ftus Junior, Dux Vinariensis, Heros pietate & prudentia nulli secundus. Hic enim suo fratrumq; nomine ad promovendum Ecclesiarum, Scholarum, nec non pauperum commoda tribus florenorum milibus anno MDCXVII. destinatis, prolixum grati in Deum, purioris veritatis redditæ auctorem, animi affectum declarare voluit.

§. XIV.

Verum non alii tantum habent, de quo sibi, quod attinet rem sacram superiorum curam ornatam gratulentur; domi si habitare velimus, egregia sane nobis se offerunt beneficia, quæ superiorum liberalitas in Ecclesiam Dresdensium derivavit, quorum memoriam merito tempore hoc non sine júbilo transigendò recolimus. Dum vero animo gratissimo recolimus, pietas exigit, ut supremo rerum moderatori immortales venerabundi habeamus agamusq; gratias; obsequium vero postulat, ut gratum & observantissimum animum erga Ecclesiæ Evangelicæ Patronos, quantum à quolibet nostrum fieri potest, patefaciamus. Et hæc, ne quid dissimulem, prægnantissimæ tenuitatem meam compulerunt rationes, ut VOS, Viri Magnifici, Præ Nobilissimi, Amplissimi, Inclytæ Urbis Dresdensis Consules, Syndice, reliqui Ordinis Senatorii Assessores gravissimi, prudentissimi, Patroni ætatem devenerandi, submississima hac scriptione compellarem. Quæ sint Vestra in rem sacram studia, multis præclaris, majorum beatissimorum vestigia prementes speciminibus docuistis. Hæc, sicut quoslibet bonos ad admirationem, ita pariter ad spem concitant, fore ut post tam largam mæstem à Vestri Ordinis prudentissimi cura, providentia, patrocinio, insigne sibi spicilegium promittere possit Dresdensis Ecclesia. Nostrum imo & meum est, his diebus inter alia pietatis, venerationis & religionis exercitia, conjunctis precibus & votis supremo Numini devotas agere grates, quod Vestrum animum Ecclesiæ benè cupientem ejusq; emolumenta promoventem excitaverit, excitatum confirmaverit, confirmatum nunquam non ad salutaria consilia direxerit. Nostrum, imò meum est, omnium bonorum Auctorem & supremum Rectorem, à cujus voluntate ac nutu omnium Magistratum dependet auctoritas, ardentissimis implorare precibus, ut VO-

BIS

BIS tantam gloriam indefessis in Ecclesiam studiis partam immortalē conservet,

§. XV.

Ludorum secularium quos Romanus Senatus magna celebritate sentum elapsis annis instituit, originem ad P. Valerium Pubolicam, Consulē fide digni referunt scriptores. Celebrabantur autem momentibus Sibyllinis Carminibus, in honorem Ditis ac Proserpinæ & aliorum Deorum centesimo vel centesimodecimo anno per trium dierum noctiumq; spatium. Præco per universam Italiam totum ad ludorum celebritatem convocabat populum. Sacris in Capitolio faciendis à Quindecim Viris populo dividebantur piamina, quibus adhibebantur tædæ, sulphur & bitumen, adspergebatur aqua marina expiandi ad solem orientem convertebantur, lustrationes terq; quaterq; repetebantur, addebantur incantamenta, accendebantur festivis candelis & rogis lumina in Deorum Dearumq; honorem. Offerebantur Diti & Proserpinæ, Parcisi, Jovi, Junoni, Apollini, Geniis, Teluri aliiq; Numinibus fictis sacrificia: parabantur venturis ad solemnia Diis Deabusq; in Templis, vicis ac ædibus lectisternia, circumvehebantur simulacra; deniq; ut alia præteream, in Templo Apollinis Palatini ter noveni pueri prætextati, totidemq; puellæ, patrini omnes, matrinique, Græca Romanaq; voce carmina concinebant, quibus Imperium suum & incolumitatem Diis immortalibus commendabant. Absit ut in nostro seculari Festo celebrando superstitiosos gentilium mores ritusq; sequamur, quod de Philippo, Imperatore quidam memoriz prodiderunt, licet de ejus Christianismo non omnes conveniant. Inter omnia tamen, nifallor, superstiosæ gentis commenta laudandum erat hoc unicum, quod pro salute Reipublicæ Romanæ, & te pro felici consiliorum, quæ Rectores ejus inibant, successu vota & precibus fundebant. Præstantissimum talium votorum exemplum Poëta acutissimus Horatius præbet, qui peculiari carmine seculari pro incolumitate patriæ, more gentilibus consueto vota fundit; Quando gr. populo Romano incrementum, Senatui vero felicem decretorum ad conjugia pertinentium successum apprecatur, his verbis utitur:

Diva

Rosin. Anti-
quit. Rom.
L. V. c. 21.
Edit.

Dempst. p.
342. Iq.
Jonston. de
Festis Græ-
cor. p. m.
156.

P. de laFaye
Entret. hi-
stor. sur cet-
te quæstion.
Si l'Empe-
reur Philip-
pe a été
Chretien?
P. I. Cap. 6.
& P. II. c. 10.

AK Ya 2990 a

Horat.
Carm. Se-
cul, v. 17.

Divā producas sobolem, Patrumq;
prosperes decreta super jugandis fœ-
minis, prolisq; novæ feraci lege
marita.

Ego Deum ter optimum terq; maximum religiosa mente vene-
ror, ut quemadmodum Vestrum Ordinem Evangelicæ Ecclesiæ com-
modis planè incumbentem per duo ferè jam secula suo complexus
est præsidio; Sic etiam in posterum inclytæ huic Civitati salvum &
incolumem servet, imo perennem esse jubeat: Vestra, Patres Con-
scripti, decreta salutaria in Civitatis incrementum, maximè verò in
Ecclesiæ emolumentum atq; augmentum suscepta prosperet, promo-
veat, provehat; Ut opera sapientissimo consilio cœpta fortunato sem-
per successu persequi & perficere possitis. Sic porro Vobis benè
cupiet Rex Augustissimus; Sic pro salute Vestra Deū continuis im-
plorabit precibus Civitas, imò Religio. Sic Vobis integra & inteme-
rata manebit laus & gloria, quæ Vestris Nominibus jure quodam hæ-
reditario ac immutabili hoc ipso anno tribuitur, quo Cives
Dresdenses gratulabundi acclamant peregrinis;

De sacris Urbis Dresdæ stat
CVra Senat/s,



X 229 0752

n.c.





278

h. 76, 52.

SCHEDIASMA HISTORICO- LITERARIUM,

quô

Curam Amplissimi

Senatus Dresdensis

Circa

*Ecclesias & Scholas Urbis
patronatas,*

à

Reformatione B. Lutheri usque ad Jubi-
læum Ecclesiæ Evangelicæ alterum variis accessionibus
auctas & ornatas deprædicat

Christianus Sigismundus Becker.

DRESDÆ, literis Crusianis.

